

CAPUT III.

DE OBLIGATIONE AUDIENDI SACRUM

PUNCTUM I.

Quomodo huic obligationi satisfaciendum est.

27. De intentione.
 28. De attentione.
 29. Qui, dum audit Missam recitat officium, etc.
 30. Qui celebrat.
 31. Qui confitetur.
 32. Qui dormitat, aut colligit elemosynas.
 33. De materie parvitate.
 34. Qui audit duas dimidias Missas.
 35. De loco unde audiri potest Missas.
 36. et 37. De oratoriis, et ubi potest Episcopus celebrare.
 38. Utrum Episcopus possit dispensare ad celebrandum in domibus privatis.

27. Hoc præceptum audiendi Missam omnibus festis habetur ex *can. Omnes fideles, et can. Missas, de consec. dist. 1.*; et obligat omnes fideles usu rationis utentes. Ad satisfactionem hujus præcepti duo requiruntur: *intentio et attentio*. Requiritur *1. intentio*, nempe ut quis intendat Missam audire; nam non satisfaceret præcepto, qui assisteret solo fine ecclesiam visendi, amico præstolandi, etc. aut vi detineretur; dico *vi*, quia si quis interesset Sacro timore a patre, vel magistro in eum incusso, jam satisfaceret debito suo, quamvis peccaret ob pravam voluntatem Missam omittendi si posset. Præterea sufficit intentio adimplendi opus præceptum, et nihil refert quod non habeatur intentio satisfaciendi præcepto; quare qui jam adfuisset Sacro, utique præcepto satisfecit, licet fuisset immemor diei festivi et idem dicitur de voto, jurejurando, poenitentia sacramentali; modo opus promissum in voto, aut impositum pro poenitentia non applicetur ad alium finem (1). Imo satisfacit, licet habuisset expressam intentionem non adimplendi præceptum juxta communissimam et pro-

(1) Lib. 4. n. 463.

babiliorem Suar. Lessii Sanchez Castropal. Tournely Pontas Valentia Vasq. La Croix Salmant. (2). Ratio, quia qui voluntarie jam exequitur opus præceptum, necessario etiam satisfecerit præcepto. Nec obstat paritas quæ a contrariis adducitur, nempe quod sicut qui debet alteri centum, et conscius debiti centum illi donat, non remanet liber a debito; ita non remanet liber a præcepto, qui præcepto satisfacere non vult. Nam responsio patet: in debito pecuniæ (idem de debito voti) obligatio dependet a propria voluntate, quare bene potest aliquis, non obstante solutione, velle ligatum remanere; sed in casu nostro obligatio audiendi Sacrum dependet ab Ecclesiæ voluntate, unde non potest homo ex se illam sibi imponere, adeoque dum adimplet præceptum, non potest non adimplere.

28. Requiritur 2. *Attentio* (saltem virtualiter et in confuso) nimirum ut advertat et attendat ad assistendum, ut debet, Sacrificio quod peragitur. Quare non satisfacit certe, qui assistit dormiendo, aut sensibus abreptus, aut nesciens quod fit. Quæstio est inter dd. an in assistendo Sacro requiratur attentio interna? Multi aa. negant, uti Suar., Less., Lugo, Coninch., Silvest., Medina, Hurtado, Henr., Renzi, Croix, et plures alii, dum dicunt quod, ut Missæ præcepto satisfiat, non sit necesse orare, sed sufficit præsentia morali adesse, intendens illa Deo cultum exhibere. Sed communior sententia cum s. Thoma. Laym., Bonac., Sporer, Salmant. et aliis pluribus vult esse necessariam attentionem internam, attendendo aut ad Deum (nimirum ejus bonitatem, amorem, etc.) aut ad Sacrificii mysteria, aut ad verba et actionem celebrantis; sufficiens cæteroquin (ut dicunt communiter) ut in principio habeat intentionem interne attendendi, et eam non revocet voluntarie, et advertenter se distrahendo: dico *advertenter*, quia si quis voluntarie se

(2) N. 464. et fusius I. 4. n. 476.

distrahit non advertens quod distrahitur a Missa (idem valet de Horis canonicis), etiam satisfecit, quia iste, licet voluntarie distrahatur, non tamen voluntarie distrahitur a Missa. Hanc secundam opinionem puto esse probabiliorum et quidem consulendam, contrariam vero non judico improbabilem; saltem stante auctoritate tot dd. qui eam tuentur, redditur res valde dubia, an adsit hæc Ecclesiæ lex obligans fideles ad Missæ assistentiam etiam cum interna attentione (1).

29. Ceterum communiter admittunt, quod satisfacit Missæ qui conscientiam examinat ut confiteatur aut aliquem librum spiritualem legit (non autem historiarum licet spiritualium) (2); aut recitat Horas canonicas, vel poenitentiam persolvit, aut aliam orationem debitam facit; quia eodem tempore potest duobus præceptis satisfieri, quando res præceptæ non sunt ad invicem incompatibiles, ut communissime Suar., Bonac., Castropal, Sanch., Filluc, Sa, Bus., Salmant., etc. contra pauciores (3). Ita etiam satisfaciunt, qui Missæ inservientes se parant, ut res altari necessarias afferant, puta vinum, hostias, thus etc. cum eadem res ad idem Sacrificium pertineant; sed hoc intelligitur modo ab ecclesia non egrediendum erit, aut saltem per multum tempus (4).

30. Probabile etiam est, celebrantem posse aliam Missam audire, quæ una simul celebratur, quia, dum ipse celebrat, jam orat. Sic etiam probabiliter satisfacit qui, dum Missæ assistit, extasim patitur, quæ a sensibus eum abalienat, quia anima tunc ad Deum attendit.

31. Ad satisfaciendum qui audiendo Sacro confitetur? Multi dd. affirmant, modo poenitens tunc attendat Missæ: ita Castropal, Reginal., Molfes., Hurtad., La-Croix, Elbel, Pieler, etc. dicentes quod per confessionem hoc

(1) L. 3. n. 343. — (2) N. 344. — (3) N. 309. — (4) Ibid. v. Satisfaciunt.

noratur Deus; et idem dicunt de confessario audiente confessiones. Sed nos contrarium sentimus cum Lugo, Tambur., Bonac., Esc., Salmant. ratione quia qui confitetur tamquam reus sistit, non autem ut offerens Sacrificium cum sacerdote. Nihilominus dicunt Lessius et La-Croix absolute bene satisfacere servum aut famulum, cui nullum aliud tempus vacaret ad confitendum, nam pro isto præsumitur Ecclesiæ convenientia.

32. Satisfacit etiam, aut saltem in materia gravi non delinquit qui in audiendo Sacro (aut in Horis canonicis recitandis) dormitat modo advertat ad id quod fit (5). Probabiliter etiam satisfacit qui circumiens ecclesiam colligit elemosynas, modo ad Missam attendat. Qui vero confabulatur per partem notabilem Missæ (quidquid dicat Busemb.) cum communi dicimus quod non satisfacit, quia confabulatio destruit attentionem etiam externam, quod impedit præcepti satisfactionem (6).

33. Quæritur 1. Quæ sit parva materia in præcepto audiendi Sacrum? Alii putant esse parvam materiam omittere usque ad Evangelium exclusive; multi *inclusive*, prout Azor. Lugo Suar. Laym. Castrop. Sa Holzman Elbel Salmant., etc. etiamsi omitteretur *credo*, ut dicitur Lugo cum aliis. Prima sententia est communior et probabilior, sed secundam non puto improbabilem, quia Missa juxta s. Isidorum ab offertorio olim incipiebat. Commune vero est cum Suar. et aliis non esse grave omittere ea quæ præcedunt epistolam, et quæ post communionem subsequuntur, etiamsi utrumque omittatur. Commune contra pariter est esse gravem omissionem a consecratione ad *Pater noster*, etiam exclusive, aut omittere consecrationem, et sumpcionem. An autem sit grave omittere consecrationem vel sumpcionem? Alii communius affirmant imo dicunt esse grave, licet omittatur

(5) L. 3. n. 346. — (6) N. 347.

consecratio unius speciei. Multi alii nihilominus cum Lugo Suar. Hurt. Fagund. Escob. Tamb. Elbel, etc. negant; nam, uti dicunt, non constat essentiam Sacrificii consistere in consecratione (sicut communis volunt), aut in sumptione (uti vult Ledesma, Pignatelli, et alii cum Alberto Magno; altam nos probabiliorum putamus primam sententiam, tamquam probabilior habentes essentiam Sacrificii in utraque simul consistere, nempe in consecratione, et in sumptione (1). Dicunt autem aliqui auctores quod, cum sit probabile essentiam Sacrificii Missæ in sola consecratione consistere, ideo etiam probabile sit, quod si aliquis veniret post consecrationem ultimæ Missæ, reliqua audire non teneatur. Sed dicimus oppositum tenendum cum Continuatore Tournely, et p. Zaccaria in La-Croix (2); ratio, quia cum sit satis etiam probabile quod essentia Sacrificii in sumptione consistat, dicimus illum bene obligari ad reliquam Missæ partem audiendam: qui enim implere nequit præceptum impositum certe, tenetur saltem, si potest implere probabiliter, nam huiusmodi onus satisfaciendi præcepto probabiliter, cum non possit satisfieri certe, inclusum est in præcepto certe satisfaciendi; cum enim præceptum stet in possessione, debet ipsum impleri, ut melius impleri potest.

34. Queritur 2. An satisfaciatur qui duas medias Missas audit a duobus celebrantibus? Qui eodem tempore has partes audit, utique non satisfaciatur, uti patet ex propos. 53. damnata ab Innoc. XI.; sed si successive, multi admittunt satisfieri, ut Navarr. Laym. Soto, Bonac. Sa, Castrop, etc. quia talis assistentia, non jam physice, sed moraliter jam terminatur ad unam Missam integram: itaque illæ duæ medietates suffi-

(1) V. 310. — (2) Cont. Tourn. tract. de 3. præc. Dec. c. 3. et P. Zaccar. ap. La-Croix I. 3. p. 4. n. 608.

ciunt ad unitatem obsequii ab Ecclesia præcepti. Hanc non negamus esse probabilem, saltem extrinsece; sed longe probabiliorum putamus contrariam cum Suar. Lugo, Azor Coninch. Tamb. Sporer, etc. si audiatur pars usque ad consecrationem inclusive ab uno sacerdote, reliquam vero ab alio; quia hæc duæ partes nequeunt constituere unum integrum sacrificium. Secus dicimus si assisteret tam consecrationi quam sumptioni ejusdem sacerdotis (3).

35. Queritur 3. In quo loco satisfaciatur præcepto de audiendo Sacro? Respondetur in qualibet ecclesia publica, etiamsi non sit parochialis, prout hodie certum est ex communi consuetudine. Et jam satisfaciatur qui audit Missam in choro post altare, aut per aliquam fenestram quæ prospicit ecclesiam, et si sacerdos non videatur, dummodo saltem per alios advertatur quod fit; et licet adsit post parietem, aut columnam ecclesie, et etiam extra ecclesiam, modo uniatur cum populo, qui est intra ecclesiam. Admittunt alii (et non improbabiler) cum Lugo, Escob. Mazzott. Spor. Elbel, Dicast. et Gob. et non dissentit Tourn., posse satisfieri huic præcepto ex aliqua fenestra domus, licet via intermediet, modo prospiciatur altare, et distantia sit parva, quia sic etiam moraliter assistitur. Admittunt Lugo, et Escob. distantiam 30. passuum, sed hæc merito non admittitur a Tamb. et Gob. (4).

36. Dictum est *ecclesia publica*, nam in oratoriis privatis non satisfaciatur præcepto omnes ii qui ibi adsunt Missæ, nisi sint domini, aut illorum conjuncti, qui habitant eandem domum, et vivunt illorum expensis (etsi aliqui dd. admittunt satisfaciere fratres, et uxores eorum, etiamsi habeant mensam particularem, et separatam), aut servi qui ab iisdem domini aluntur, quamquam isti degant extra domum, ut admittunt Pelliz. Quarti, Diana, La-Croix,

(3) L. 3. n. 314. — (4) L. 5. n. 312.

Castrop. Tamb. et Mazzotta (contra Barbos. Lez., etc.). Sed non satisfaciunt familiares qui non sunt necessarii, uti loquitur indultum (1), et tanto minus extranei, ut sanxit Clemens XI. adversus quorundam opinionem (2).

37. Circa oratoria privata plura hic advertenda. Et 1. non posse in iis celebrari in quibusdam festis principalibus, et hæc sunt *Pascha, Pentecostes, Natalis Domini, Epiphania, Feria V. in Cæna Domini, Ascensio, Annuntiatio, et Assumptio B. Mariæ Virg., festa ss. Petri et Pauli, et omnium Sanctorum*. Ita ex Decret. S. C. Sed hæc limitatio non intelligitur pro oratoriis concessis infirmitatis causa (3). 2. Pontificem Benedict. XIV. in Bulla *Cum duo nobiles*, anno 1740. declarasse non posse celebrari Missam in oratoriis privatis, nisi actu assistat saltem unus illorum, quibus directe concessum est indultum (4). 3. Per eundem Pontificem in Bulla *Magno*, sub die 2. Junii 1751. declaratum esse, attenta formula Indultorum, in prædictis oratoriis privatis non posse celebrari nisi unam tantum Missam, cum jam explicatum sit, verbum *una Missa* idem sonare ac *unica* (5). 4. Non licere ministrare Sacramentum Pœnitentiæ in oratoriis privatis sine licentia Episcopi, et præcisa justa causa, expressum est in citata Bulla *Magno* §. 20. An autem requiratur licentia Episcopi pro ministranda Eucharistia? Alii negant; sed communius affirmant, et reperi quod præfatus Pontifex Benedictus XIV. in Epistola encyclica ad Episcopos Poloniae, data eodem die 2. Junii 1751. prohibuit Communionem ministrari in oratoriis privatis sine licentia Episcopi. 5. Hoc procedere de oratoriis privatis concessis a Papa privilegio aliquas personas donare volen-

te, non autem de illis auctoritate Episcopi erectis et designatis ad sacros usus in seminariis, conservatoriis, hospitalibus, et etiam in domibus privatis, modo in istis ingressus pateat a via publica; nam in huiusmodi oratoriis seu capellis quilibet potest celebrare, et Missæ præcepto satisfacere in quibuslibet anni diebus quia hæc sunt vere ecclesie publicæ. Et idem currit pro oratoriis Religiosorum, et pro iis qui in domibus Episcoporum, aut Cardinalium eriguntur (6). Episcopi autem possunt celebrare, et celebrare facere presentibus in omnibus domibus (etiam extra diocesim) ubi reperiuntur causa visitationis, aut itineris, aut moræ extra diocesim a jure, vel a s. Sede ob aliquam peculiarem causam permissæ; ita habetur ex Bulla *Apostolici ministerii* Innoc. XIII. confirmata a Benedicto XIII. et extat in appendice Conc. Rom. (7).

38. An autem Episcopi possint dispensare, ut aliquando celebraretur in domibus privatis? Respondetur quod licet hodie per Trident. *Sess. 22 in Decr. de celebr. Miss.* et luculentius in Decr. Clementis XI. ablata sit Episcopis potestas, quam primitus per *Can. Missarum, 11 de consecrat. dist. 1.* habebant celebrandi, et celebrare faciendi etiam in domibus laicorum, nihilominus valde probabilis, et communissima est sententia cum Nav. Suarez Lugo Castrop. Vasq. Coninch. Salm. Croix, etc. quod hoc intelligitur de licentia perpetua per modum habitus, non autem de licentia ad tempus per modum actus, intercedente aliqua justa causa particulari, et transitoria infirmitatis, aut alterius rei. Nonnulli dd. admittunt hoc tantum pro aliquibus vicibus in anno; sed alii, ut Holzm. Elbel, et Pasqual. concedunt quoties occurrit aliqua causa specialis, dicentes, solum vetitum esse episcopis per modum habitus, et quoties dispensato

(1) N. 319. — (2) Vide l. 6. n. 359. Not. 3. — (3) Ibid. v. Ex quo, et ex alio Decr. quod affert P. Zaccaria ap. Croix l. 6. p. 2. ad n. 271. — (4) L. 6. n. 359.

(5) Ibid. v. Dices. — (6) L. 6. n. 357. — (7) N. 358.

luket ea licentia uti, et hoc etiam approbatur a Gallemart in citat. loco Trid. et non irrationabiliter (1).

APPENDIX De oratoriis privatis.

Operæ pretium est hic adnotare formam Brevium pontificiorum, quibus concedit solent oratoria privata hæc igitur est: — « Clemens XIII. tibi N. N. diœcesis Neapolitanæ, qui (ut asseris) ex nobili genere procreatus existis, ut in privato domus tuæ solitæ habitationis oratorio in civitate N. existentis, ad hoc decen- ter (muro extracto) ornato, ab omni- bus domesticis usibus libero, per Ordinarium loci prius visitando, et approbando, ac de ipsius Ordinarii licentia, ejus arbitrio duratura, unam Missam pro unoquoque die, dum- modo in eadem domo celebrandi licentia, quæ adhuc duret alteri concessa non fuerit per quemcumquesacerdotem ab eodem Ordinario approbatum secularem, seu de Superiorum suorum licentia regularem, sine tamen quorumcumque jurium parochialium præjudicio, ac Pascha- lis resurrectionis, Pentecostes, Na- tivitatis D. N. Jesu Christi, nec non aliis solemnioribus festis diebus exceptis in tua, et familiæ tuæ, nec non hospitum tuorum nobilium præ- sentia celebrare facere valeas. Non obstantibus, etc. Volumus autem quod familiæ servitio tuo tempore dic- tæ Missæ actu non necessarii ibi- dem Missæ hujusmodi interessentes, ab obligatione audiendi Missam in ecclesia diebus festis de præcepto minime liberi censeantur. — *Datum Romæ, etc.*

Nunc examinemus sigillatim dictas clausulas, quarum I. *Tibi diœcesis Neapolitanæ.* Hic quæritur an qui habuit privilegium, cum transferat domicilium in aliam diœcesim possit ibi uti privilegio? Multi affirmant, ut Barbosa Pasqual. La-Croix cum aliis (2); nam dicunt hoc privilegium

(1) Lib. 6. n. 359.

(2) Barb. de jur. eccl. I. 2. c. 8. n. 16.

non loco sed personæ concessum ob suam nobilitatem; adeoque stante eadem causa in alia diœcesi, adhuc et privilegium perseverat. Addunt postea tibi diœcesis Neapolitanæ non taxative apponi, sed demonstra- tive, i. e. *Tibi qui es diœcesis Neapolitanæ*; et hoc eo fine ne ab alio- qui forsitan si eodem nomine appel- latus, privilegium usurpari queat. Hoc tamen non obstante, contrarium tenendum cum p. Fortunato a Bri- xia (3), qui secundum se multos auctores adducit. Ratio, quia nunc tem- poris in exemplaribus Brevium hu- jusmodi privilegii, secus ac fiebat an- tiquitus nomen civitatis respicit non personam tantum, sed etiam eadem oratoria, cum dicatur: *in privato domus tuæ solitæ habitationis oratorio in civitate N. existentis*; et quandoque apponitur etiam nomen diœcesis. Sicut ergo privilegium quo- ad personam, sic etiam ad locum li- mitatur. Præterea, ut bene ait p. Bri- xiensis (4) mox laudatus (et asserit hanc esse comm. sententiam), quam- quam hoc dubium esset, stricte ta- men interpretandum est; etenim ge- neraliter loquendo, privilegia favo- rabilia sunt late interpretanda; non autem illa derogantia juri communi uti est privilegium de oratorio pri- vato; contra Tambur. sententiam (5) Vide quod dicemus de privilegiis *Tract. 20. n. 7.*

Clausula II. *Qui (ut asseris) de nobili genere procreatus existis.* Igi- tur animadvertendum cum non ve- rificatur conditio nobilitatis, privile- gium utique nullum esse, dum illa est opposita uti causa finalis (6). An autem sufficiat nobilitas habita ex privilegio, vel dignitate, seu gradu acquisito? Quidam admittunt (7); sed Pasq. de Sacr. Miss. q. 629. La-Croix I. 6. p. 2, n. 269. cum Sylv. Boac. et aliis. — (3) A Brixia de orat. domest. p. 62. — (4) Brix. loc. cit. c. 3. adno 1. p. 91. — (5) Tamb. Meth. eccl. Miss. I. 1. c. 6. §. 4. n. 31. (6) Vid. Tambur. loc. cit. §. 4. n. 5. — (7) Pasp. et Cleric. cum Pignat. l. 6. cons. 93. n. 100.

negatur a p. Fortunato a Brixia as- serente requiri proprie dictam nobi- litatem habitam ex nativitate. De re- liquo semper in hoc locus a loco est distinguendus.

Clausula III. *Ut in privato domus tuæ solitæ habitationis oratorio in civitate N. existentis ad hoc decen- ter (muro extracto) ornato, ab omni- bus domesticis usibus libero.* Hic quæ- ritur an privilegio donatus illo uti possit, cum per parum temporis do- mi suæ ruri extractæ immoratur? Affirmant Pignat. et Pasq., sed me- rito id negat Ronc. (1) attentis ver- bis: *In privato domus tuæ solitæ ha- bitationis.*

Notetur hic 1. Per verba *muro ex- tracto*, uti probabiliter dicunt qui- dam aa. (2) non signari opus esse ut quatuor adsint parietes, sed suf- ficere tres, et pro quarto ut appo- natur tapes, aut tela quæ claudatur, aperiaturve cum opus erit. Juxta usum autem Neapoli receptum, scio pro hujusmodi privatis oratoriis ab Archiepiscopo approbati armaria li- gnea; altamen sentio semper obser- vandum Decr. S. R. congr. die 3. Decemb. emanatum 1661. ubi dicitur: *Habens indultum erigendi oratorium in propria domo, si voluerit ibi æ- dificare altare ligneum, non indiget facultate apostolica, dummodo altare cum sacro lapide parieti colligatum amovibile non sit, et altaris portan- tilis imaginem non præ se ferat.* No- tandum 2. quoad verbum *ornato*, quod locus oratorii ita aptari debet, ut omnes fatentur, ut distinguatur ab aliis profanis usibus destinatis. Imo bene ait Pasqual. in hujusmodi oratoriis ornamenta splendidiora ante alia quæ in ecclesiis adsunt, esse apponenda, quia ecclesiæ ex se exi- gunt venerationem. Notandum 3. quoad verba, *ab omnibus domesticis, etc.* id quod dicunt dd., nimirum quod sicut in ecclesia quis dormire potest,

(1) Ronc. de Sacr. Missæ c. 5. q. 3. v. Quarto. — (2) La-Croix I. 6. p. 2. n. 266. et Tamb. loc. cit. n. 8.

comedere, et similia, tanto magis hæc permittuntur in oratorio (3); et uti hæc agendo in ecclesia absque necessitate venialem culpam non ex- cedit, modo non fiant per modum habitus, ut inquit Suar. cum aliis (4); idem a fortiori dicendum est de oratorio privato. Casu tamen quo per modum habitus oratorium tamquam locus profanus haberetur, volunt dd. (5) locum illum ineptum fieri, et pri- vilegium cessare; saltem, ut aiunt alii, (6) novæ eget Ordinarii appro- bationis. An autem super oratorii tecto dormire non liceat, aut aliæ actiones profanæ, negant aa. fere communiter 7, dicentes id omittere esse solum convenientiæ, non vero præcepti; dum qui dormit super tecto ecclesiæ extra ecclesiam dormit. Ve- rum tamen est in sua diœcesi s. Carolum Borromæum vetuisse. Cete- rum, inquit p. Gatticus (8), hoc per- mitti posse in aliqua domo, ubi ali- ter ex angustia provideri non potest.

Clausula IV. *Per Ordinarium loci prius visitando, et approbando, ac de ipsius Ordinarii licentia, ejus arbitrio duratura.* Notetur hic Ordinarium, cum semel approbaverit oratorium, non posse impedire quominus ibi celebretur, ut decisum legi- tur apud Barb. 9. Hoc tamen intel- ligitur, cum desit justa causa, nam cum adest, bene potest celebratio- nem suspendere vi verborum, *ejus arbitrio duratura.*

Clausula V. *Unam Missam pro uno- quoque die, dummodo in eadem domo celebrandi licentia, quæ adhuc duret, alteri concessa non fuerit.* Jam superius dictum est n. 37. per verba, *unam missam*, intelligi *unam*, ut

(3) Sa v. Eccles. n. 3. et Tamb. n. 8. — (4) Suar. de relig. t. 1. 3. c. 5. — (5) Pasq. qu. 618. n. 8. cum aliis. — (6) Tamb. ex Castropalao. — (7) Ronc. de Sacr. Mis. c. 5. q. 3. v. Primo, cum Pignat. et Croix I. 6. p. 2. n. 266. cum Quarti, et Tamb. n. 9. v. Illud, ex Sanch. et Glossa in 2. un. de Cons. eccl. in 6. — (8) Gattic. de orat. dom. c. 33. n. 6. — (9) Barb. in Trident. Sess. 22. Decr. de observ. in cel. n. 19.

declaravit Benedictus XIV. in Bulla *Magno*. Per verba autem *dummodo in eadem domo, etc.* advertatur quod, etsi unus ex dominis oratorum obtinisset in suis diæsis, sed ejusdem domi, invalide alter dominus privilegium impetraret.

Clausula VI. *Per quemcumque sacerdotem ab eodem Ordinario approbatum seculari, seu de Superiorum suorum licentia regularem.* Notandum hic non opus esse approbatione speciali ad celebrandum in oratoriis privatis, hodie enim ordinarie solent ibi Sacrum facere sacerdotes vi cujusdam approbationis, quæ ex consuetudine (1) adest.

Clausula VII. *Sine tamen quorumcumque jurium parochialium præjudicio.* Ob hanc clausulam nequeunt in oratoriis privatis denuntiare matrimonia, et similia. An autem possint ministrari Sacramenta Penitentiae, et Eucharistiae, vide quod dictum est n. 37. ad 4.

Clausula VIII. *Paschatis resurrectionis, Pentecostes, et Nativitatis D. N. J. C. nec non utriusque solemnioribus festis diebus exceptis.* Advertendum cum Gavanto (2) sub Paschatis et Pentecostes nomine primum tantum diem comprehendit. Quoniam alii dies comprehenduntur in verbis, *solemnioribus festis diebus*, dictum est n. 37. iterum iterumque citato.

Clausula IX. *In tua, et familiae tuae, nec non hospitum tuorum nobilitate presentia celebrare facere valeas.* Superius etiam notatum est (n. 37.) per verba, *in tua et familiae tuae presentia*, intelligi quod celebrari non potest, quin adsit aliqua ex illis personis quibus principaliter est concessum Indultum, ut declaravit Bened. XIV. Sub verbo autem *familiae* veniunt omnes consanguinei, saltem usque ad quartum gradum, modo eandem incolant domum, et vivant privilegio donati ex-

(1) Tamb. l. c. n. 23. — (2) Gav. p. 4 tit. 10. §. sciendum,

pensis, ut volunt doctores communiter (3).

Clausula X. *Volumus autem quod familiares servitio tuo tempore dictae Missae actu non necessarii Missae hujusmodi interessentes, ab obligatione audiendi Missam in ecclesia diebus festis de præcepto minime liberi censeantur.* Ut igitur servi gaudeant privilegio requiritur i. ut non modo vivant expensis domini, sed etiam ut actu serviant, ut habetur ex cap. *Sicut nobis, de verb. sign. in 6. 2.* Non sufficit quod continue serviant domino, sed requiritur actualis eorum necessitas tempore Sacri. Tenet Pign. (4) servos utiles etiam posse quodammodo necessarios reputari, saltem, ait p. Gatticus, si sunt necessarii ad decus domini competens: sed Brix. negat utrumque ex principio superius dato, privilegium nempe hoc stricte esse interpretandum, tanquam derogans juri communi; tantum admittit cum Gattico unum servum, qui moraliter necessarius reputatur ad ea, quæ occurrere possunt tempore Missæ.

Quæritur an gaudeant privilegio servi qui vivunt de salario domini, sed habitant extra illius domum? alii negant; sed communius alii (5) affirmant: et non improbabiler: modo continue serviant in domo heri, et actu, ut dictum est, sint necessarii tempore Missæ.

PUNCTUM II

Que excusant ab auditione Sacri.

39. *Excusatur impotentia, qualis est infirmorum, excommunicatorum, vinculis detentorum, custodum, etc.*

40. *De servis, filiis, et uxoris coactis, etc.*

41. *Excusatur grave incommodum.*

(3) Pignat. tom. 6. cons. 98. n. 91. et seqq. Pasq. qu. 669. Ronc. de Sac. Mis. c. 5. q. 3. v. Sexto. Croix l. 3. p. 1. n. 627. P. a Brixia p. 3. contra Peliz. et Tambur. — (4) Pignat. loc. cit. n. 107. — (5) Peliz. Manual. tract. 8. c. 2. sect. 2. qu. 22. Mazzotta, Gattic. Castrop. Quarti, et alii apud La Croix l. 6. p. 2. n. 272. contra Bon. Barb. Lez. etc. ap. La-Croix.

42. *Excusatur usus.*

43. *An propter scandalum, etc. an propter grande lucrum, aut ut confiteatur possit omitti Sacrum.*

39. Excusatur a præcepto audiendi Sacrum quævis impotentia sive realis, sive moralis, quæ grave afferret damnum, aut incommodum spirituale vel temporale propriæ personæ, aut proximo. Quare 1. excusantur infirmi quia, si domo egrediantur, grave nocuum, aut dolor, aut valetudinis procrastinatio timetur. In dubio potest infirmus iudicio medici, aut Superioris, aut viri prudentis acquiescere, et etiam proprio, si jam potest ipse prudenter judicare, et quando agitur de gravi damno, etiam perseverante dubio, infirmus probabiliter excusatur; nam in tali dubio prævalet ius naturale conservandi salutem (1). 2. Excusantur excommunicati, et carceribus detenti, qui non tenentur absolutionem, vel libertatem procurare, ut Sacro adsint, ut volunt multi dd. Sed ego non excusarem, ut melius dicunt alii, si de facili sine gravi incommodo possent absolutionem, aut libertatem obtinere; aut si ipsi ideo eam obtinere non curent, ne tali præcepto se obstrictos reddant (2). 3. Excusantur qui custodiunt castra, urbem, gregem, domum, infantes, vel pueros, quos domi reliquere sine periculo, et secum conducere sine templi perturbatione nequeunt. Item illi qui probabiliter timeant, ne in carcerem detrudantur, si ad ecclesiam pergant, et illi qui necessario debent assistere infirmis, ut medicinas, et cibum tempore opportuno illis ministrent, aut eos nequeunt derelinquere, quin molestia magna afficiant (3).

40. Excusantur 4. servi, si necessaria foret eorum opera, ut dominorum grave incommodum evitetur. Debent nihilominus hujusmodi servi procurare (si possunt) ut adsint Sa-

(1) L. 3. n. 325. — (2) Ibid. v. Excommunicatus. — (3) Lib. 3 n. 326.

cro cum suo incommodo levi, etc., v. g. auferendo aliquid a somno, citius foras egrediendo, etc. Si autem eorum opera non esset necessaria eo tempore, quo audiendum sit Sacrum, non excusantur, nisi in casu, in quo gravem indignationem, aut grave incommodum timeant, v. g. ne dimittantur, ac de facili et statim aliam dominum non possent invenire. Idem dicendum de filiis a parentibus, et de uxoris a viris coactis ad omitendum Sacrum, aut ad laborandum in festo; ipsi enim excusantur, si timeatur gravis indignatio (4).

41. Excusantur 5. navigantes, et itinerantes, si ex auditione Sacri grave damnum passuri sint (5). Excusatur notabilis distantia ab ecclesia. In hoc pensanda sunt circumstantiæ personæ, temporis, et loci, sed regulariter putant Soar. Castr. Filiuc. Salm. Trull. Croix, Mazz. et alii excusare distantiam trium miliarium, aut iter pedestre unius horæ cum quadrante; et minus si plueret, aut ningeret, aut adesset alia causa excusans (6).

42. Excusatur 6. usus juxta locorum consuetudinem domo non egrediendi sex hebdomadas post partum, vel mensem tempore luctus ob mortem viri, et etiam sororis, aut filia, ut dicunt Suarez, et Mazzotta. Sed illæ personæ, quæ jam domo exeunt, ob has causas non excusantur a Sacro. Nulla autem ratione potest licita reputari illa consuetudo (ut melius dicam abusus) qua puellæ, ne in publicum exeant, ab auditione Sacri se abstinere. 7. Excusantur tamen mulieres, quæ vestibis, aut servis, aut sociis se decentibus carent: sed istæ tenentur, si possunt, valde mane, aut in aliqua ecclesia, ubi populus non frequens Sacro adest. Idem dicitur de puella inhoneste prægnante. Aliqui dd. excusant puellam, si tantum una Missa celebranda esset, et inter eam proclamationes

(4) L. 3. n. 327. — (5) N. 328. — (6) N. 329.

Illius nuptiarum faciendæ essent sed hoc non potest admitti, nisi in iis locis, ubi talis esset usus, aut puella magno rubore suffundenda esset; quod quidem raro accidit (1).

43 Potest 8. excusari mulier, si sciat quod Juppiter concupiscatur. Sed dicimus quod illa non tenetur ideo abstinere a Sacro, nisi semel aut bis (2). Denique potest probabiliter excusare jactura magni lucri, ut in simili dictum est n. 22. Et ita etiam possunt excusari muliones, rhedarii, molitores, qui, ut Sacro adessent, magnum damnum, aut jacturam lucri extraordinarii subitari essent (3). Ita etiam potest excusari, qui omitteret Sacrum ut impediret aliquod grave peccatum, aut damnum: aut ut confiteatur, qui secus esset diutius permansurus in peccato mortali. Sed non licet Missam omittere, ut faciat aliquod opus non

præceptum, licet altioris meriti (4). An autem peregrinus teneatur ad audiendum Sacrum in festo, in loco ubi est de præcepto, licet ibi tantum diem moretur, vide quid dictum est de legibus *Tract. 2. n. 41.*

Hic obiter notandum Benedictum XIV, in Brevi *Cum sicut*, dato 22 Decemb. 1748. in regnis Neapolis, et Siciliarum permisisse opera servilia in festis, exceptis *Dominica paschali, et Pentecostes, et omnibus aliis dominicis; item diebus Circumcisionis, Epiphaniæ, Ascensionis, Corporis Christi, et ejus Nativitatis, item Purificationis, Annuntiationis, Assumptionis, Nativitatis, et Conceptionis B. V. Mariæ immaculatæ item diebus ss. Petri et Pauli, omnium Sanctorum, et patroni principatus cujusque civitatis aut loci diœcesis.* In aliis autem festis indulget fidelibus teneri tantum ad Sacrum audiendum

TRACTATUS VII.

DE QUARTO PRÆCEPTO DECALOGI

CAPUT I.

DE FILIORUM OBLIGATIONE

1. De amore erga parentes.
2. De reverentia.
3. De obedientia.

1. Filii tenentur erga parentes (ita etiam subditi erga Superiores) amorem, reverentiam, et obedientiam præstare. Quare peccant graviter 1. contra *amorem*, et quidem pluribus modis: 1. Si ab eis abhorrent, aut illis malum grave optant (in quo dupliciter peccant, contra pietatem, et contra justitiam). 2. Si injustis modis eos impediunt, ne testamentum conficiant. 3. Si eos sine justa causa gravi molestia afficiunt. 4. Si non subveniant in gravi necessitate temporali, aut spirituali,

(1) N. 330. — (2) L. 3. n. 331. — (3) N. 332.

præcipue si negligunt ut illi in articulo mortis Sacramenta suscipiant (5)

2. II. Peccant graviter contra *reverentiam*, 1. Si percutiant eos etiam leviter, aut ostendant velle eos percutere. 2. Si gestu eorum, contumeliose exprimendo derisui eos habeant. 3. Si maledicta, aut convicia in eos coram effutiant, appellando illos *amentes, ebrios, bestias, latrones, veneficos, scelestos.* Vocare autem eos *senes, ignaros, stupidos, etc.* non debet absolute damnari de peccato mortali, nisi tunc cum illi graviter contristarentur (6). Dictum est *coram*, quia si filius parenti illuderet, aut mala imprecaretur, sine pravo animo, et clanculum, nescirem eum damnare de peccato mortali (7).

(4) *Ibid.* v. Non excusatur. — (5) L. 3. n. 333. — (6) N. 334. — (7) *Ibid.* v. Absoluto.

3. III. Peccant graviter contra obedientiam, 1. Si ipsis invititis ducunt uxores indignas cum familia dedecore (observetur quod dicitur de sponsalibus *Tractatu 18. num. 10.*) 2. Si furentur in materia gravi bona domus; quocirca observetur quod dicitur loquendo de furto *Tract. 10. num. 32.* Peccant. 3. Si non obediant parentibus in rebus gravibus et justis, ac per ipsos jussis (præcepto expresso et serio, ut dicunt *Roncaglia, Holzman, et Sporer*) v. g. ne ludant ludis perniciosis, ne domo exeant nocte, ne cum mulieribus, aut cum malis sociis versentur, etc. (1). Dictum est in rebus justis, quia circa status electionem filii non tenentur parentibus obedire, ut docet s. Thomas (2). *Non tenentur nec servi dominis, nec filii parentibus obedire de matrimonio contrahendo vel virginitate servanda.* Quare parentes (ut dicemus capite sequenti) si impediunt filios, quominus statum eligant, aut cogunt eos ad suscipiendum aliquem statum invitos, peccant graviter.

CAPUT II.

AD QUID TENENTUR PARENTES ET FRATRES.

4. De alimentis, *Legitima, et dote; decisio quatuor Rotarum.*
5. De educatione; *si pater impedit vocationem, aut cogit ad aliquem statum, aut ingredi monasterium.*
6. *Ad quid tenentur fratres.*

4. Parentes ad duo potissimum tenentur, ad procurandam filiis conservationem, et educationem. Circa *conservationem* ipsi peccant. 1. Si bona sua dilapident, ita ut impotentes redantur ad ministranda filiis (licet essent spurii) alimenta necessaria, aut si negligant eis modo quo possunt illa procurare. 2. Si injuste privent eos in morte *Legitima*, aut in vita recusent constituere patrimonium filiis, qui ad Ordines sacros promoveri cupiunt, aut negent dotem filiabus, licet ipsis invititis illæ (1). Lib. 3. n. 335. — (2) 2. 2. q. 104. a. 5.

nupserint, cum jam annum 25. excesserint. Si autem ante illam ætatem nupserint, diversæ adsunt opiniones; sed probabilior mihi videtur illa Sanch. Molin. Salm. Trullench., etc. qui dicunt patrem saltem teneri ministrare alimenta, licet se indignis nupserint (4). Respectu autem patris, ait Sanch. Boss. cum Glossa in *cap. Admonere 33. q. 4.* et cum Surdo illum teneri alimenta non filio modo, sed etiam ejus uxori, etsi ipsam duxerit absque dote, et contra voluntatem patris (4). Præterea aiunt Azor. et Merenda (5) cum Baldo et Jasone, patri alendum esse filium, etiamsi iste consumpsisset in vitiis partem sibi prius datam. Hic adnotetur decisio 4. Rotarum s. Conc. Neapol. quod pater non potest domo filios expellere, licet feris vellet eis ministrare alimenta, et contra quod filii nihil possint prætere a patre si velint extra domum habitare, nisi hoc facerent causa virtutis (6). Quando autem pater possit, vel non, filios exheredare, vide quod dicemus *Tract. 10. n. 258.* cum loquemur de contractibus.

5. Circa *educationem* 1. peccant parentes, si negligunt filios in rebus Fidei, et salutis instruere vel per se, vel per alios 2. Si eis scandalum afferant, blasphemias, vel verba obscœna proferendo, etc. et præcipue si secum in lecto decumbere faciant, aut permittant pueros et puellas simul dormire. 3. Si de excessibus eos non corripuerint, et præcipue si aliquid furati sint. 3. Si non curent, ut filii Sacramenta suscipiant, et festa, jejunia, etc. observent 5. Si permittant ut illi cum scandalosis versentur, et præcipue si non impediunt quominus sponsi suarum filiarum ad domum accedant. 6. Si impediunt filios quominus aliquem

(3) Lib. 3. n. 336 v. 3. Pater. — (4) Sanch. l. 4. de matr. D. 26. n. 21. Boss. de effect. matr. p. 2 n. 95. etc. — Azor. p. 2. l. 2. c. 4. q. 12. Merenda contr. l. 4. c. 34. n. 6. — (6) L. 3. n. 333.